



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

5. Laurus Symbolum castitatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Nescio enim, quomodo fiat, ut virtus oppugnata tantò evadat pretiosior, quantò in repellendis assaultibus fuerat fortior. An, quia præclarum facinus & ab hoste probatur; & seu vincas, seu vincaris, ex adversarii robore nobiliorem palmam reportas?

V. (e) Laurus olim, quod Ovidius innuit, ante vestibulum palatii Cæsaris Augusti, & successorum, statuebatur, tanquam triumphale victoriarum signum. Optandum sanè, ut ante fores oculorum, aurium, linguæ, hæc arbor excubet, Symbolum Castitatis & præsidium. Laurus, quod Plinius docet, igni oblectatur crepitu. Et mali omnis apud augures erat, laurum in ignem coniectam, non crepuisse. Quid dicam? Castitas, ne uratur, manibus repugnat ac pedibus. Cujus rei memorabile documentum Nicetas, adolescens ille præbuit, qui cum aliter Cypridem rejicere non posset, morsu linguam præcidit, & in lenocinantis faciem exspuit. Baron. anno Christi 252. Equidem in lingua telum gerit pudicitia, quæ si laborat, altiùs clamando reluctandum est Cupidini, vim & facem paranti. Exemplò Daphnes, cave Virginitas; *tigisse, perisse est*. Manum Phœbi evitavit fugiendo laureata hæc Nympha. Et quis putaret? in virginum Musarum vicinia, struuntur insidiæ virginitati; & quidem *lauro*, à laurigero Phœbo? Facile spernat Galatea Polyphemos, & cæteros Aetnæ Cyclopas; Plus est periculi à crispis Apollinariis juvenum cincinnis, à rubicundis genis, blandiente lingua, digitis auro micantibus, & suavem per chordas ac corda pectinem ducentibus. Hic Daphne, si sapis, fuge, & lauream fugiendo compara. Memineris, quod Catullus in nuptiis Pelei & Thetidis canit:

Ut flos in septis secretus nascitur hortis,  
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,  
Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber.  
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ:  
Idem cum tenui carptus defloruit ungue,  
Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ.

Sic virgo dum intacta manet, tunc chara suis; sed  
Cum castum amisit polluto corpore florem,  
Nec pueris jucunda manet, nec chara puellis,

A 3

SYM-

(e) Laurus Symbolum castitatis.